



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Notæ In Notas Willelmi Wendrockii Ad Ludovici Montaltii
Litteras, Et In Disquisitiones Pauli Irenæi Inustæ**

Fabri, Honoré

Coloniæ, 1659

Willelmo Wendrockio Familiari Suo, Bernardus Stubrockius Sapere In
Posterum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39536

WILLELMO
WENDROCKIO
FAMILIARI SUO,
BERNARDUS STUBROCKIUS
SAPERE IN POSTERUM.

AVIDIS & famelicis oculis lucubrationem tuam legi , Willelme Wendrocki : quem Bajanæ , Janseanianæ , Sancygiranæ pseudologiæ Baccalaureum verius dixerim , quām Salzburgensem Theologum. Rarum opus tibi gratulor : dignum sanè patellâ operculum , numeris ferè omnibus absolutum: in quo scilicet ad maledicentiam , calumniam , fraudem , obstinatam in damnatâ hæresi pervicaciam , nihil prorsùs desideratur. Tria sunt tamen , ut ingenuè moneam , quæ fortè imprudens omisisti. Primum est , quòd cùm tuā tuorumque incuriā , vel potius curā , innumeræ mendæ , & crassissimi errores in tuum Librum irrepserint , nullam tamen , ut fieri solet , erratorum tabulam subnectere dignatus

* 1

es.

es. Ego, ut hoc saltem labore te levem, & hoc levi officio mihi arctius obstringam, hanc provinciam ultrò suscepi. Sed quia propter immensam erratorum multitudinem, levioris operæ non fuit; rudiorem synopsim præmitto, in quam palmaria congesi: cras alteram partem mittam: tu interim æqui boni-que confule. Alterum, quod omnes Catholi-ci in tuo libro desiderarunt, non minoris momenti esse videtur. Deest enim Doctorum, & eorum, quibus ex officio incumbit, Appro-batio: nisi fortè huic incommodo satis lepi-dè occurrere voluisti, insertis Liberti Fro-mondi, & Cornelii Jansenii Approbationi-bus, * in gratiam libri damnati. Quid enim aliud damnatæ doctrinæ auctores approba-rent? Est in hoc, quod tibi plurimum grati-ficer. Mitto enim Approbationem, non qua-lemcunque illam à conductitio quopiam Theologastro, vel corrupto venaliq; Vicario emendicatam, sed à Romano Pontifice ALEXANDRO VII. profectam, eamque ge-minam; quò major auctoritas Libro tuo concilietur: Constitutionem, scilicet, in quā Quinque Propositiones, ut Jansenii, & in Jansenii scnsu; & Decretum ejusdem ALEXANDRI, in quo præter Arnaldi ineptias, & Thomæ Angli blasphemias, famosæ illæ tui Montaltii Litteræ damnantur. Tertium de-

* Pag. 445.

nique

nique est, quod, cum in duos Apologistas, qui Montaltii Litteras refutarunt, paulo ve- hementius invectus fueris; & alterum qui- dem, ut ignavum & tardum; alterum vero, ut insanum & furiosum traduxeris: ut quan- tum hic insaniat, ille hebescat, apud omnes constet; ad majorem tuorum convitiorum confirmationem, & plenam fidem tibi fa- ciendam, scriptum utriusque Latinitate do- natum, cum aliquot aliis opusculis hic atte- xere cogitaveram: ut, si quando ad secun- dam editionem venias, tergeminæ hujus ap- pendicis accessione, Liber tuus altero se au- Ætior, majori pompâ prodeat. Sed ne tardius, quam par sit, haec tria officia persolvam; mi- nimè procrastinandum ratus, primum & se- cundum statim exequor; tertio deinde, meo ac tuo commodo, satisfaciam. Cæterum mi- hi facilè ignosces; si verbosiorem illam tui Montaltii loquela, quam identidem mi- rabiliter extollis, minimè assequutus, pole- micum, non calamistratum dicendi genus amplector. Id unum præsertim enitar, ut ea, quæ à me scribentur, probè intelligas: fa- ciamque, ut verba rebus, non vero vicissim res verbis, & dictioni serviant. Eo mihi dumtaxat styli acumine opus esse duxi, quo tuos aculeos configerem; iis argumentorum nervis, quibus tua convitia castigarem; eo

rationum pondere , quo vaniloquentiam
tuam obruerem : eum denique ordinem mi-
hi servandum præscripsi, quem in erratorum
syllabo Librorum auctores adhibere solent.
Lustrabo paginas , quarum censum infrà ad-
scribam : neque aliis opusculo huic meo di-
stinguendo titulis utar , quām quibus lucu-
brationem tuam ipse partitus es. Sed ne diu-
tiūs in limine suspensum te detineam , pri-
mam Libri tui frontem protinus aggrediar.
Priùs tamen , amabò , accuratè perlege , cu-
jus supra mentionem feci , geminam Litte-
rarum Ludovici Montaltii & Notarum tua-
rum Approbationem. Utramque præmit-
tendam duxi ; tum ob Summi Pontificis dig-
nitatem ; tum ne , quod ad honorem Libri
tui vel maximè facit , patiar à te diutiùs igno-
rari. Tu quoque in secundâ editione , quando
prodibit , Notis tuis , si placet , utramque
præfigito.



SANC-